

Commentatio de lithotomia Celsiana critico-chirurgica / auctore Ign. Franc. Xav. Schoeman.

Contributors

Schöman, Xaver, 1807-1864.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Jenae : Libraria Braniana, 1841.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/t67dgajd>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

12
COMMENTATIO

DE

LITHOTOMIA CELSIANA

CRITICO-CHIRURGICA

AUCTORE

IGN. FRANC. XAV. SCHOEMAN

MEDIC. ET CHIRURG. DOCT. ORDIN. MED. JEN. PROFESSORE E. O.

URBIS ET CIVITATIS JENENS. PHYSICO SOCIETATIS MINERALOG. JEN. SOC. ORDIN.

SOCIET. MED. HAMBURG. SOC. HONOR.

Legite Celsum!

Accedunt tabulae duae lapidi incisae.

JENAE

PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA.

MDCCCXLI.



Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b2228896x>

Prooemium.

Quum nostris temporibus, quibus non solum calculi vesicalis secandi rationes, certe ex **VV.DD.** sententia, eo pervenerunt ut perfectionis laude dignissimae videantur, sed et post **Gruithuisenium**, qui primus de calculo in vesica friando cogitavit, iis quae **Civialius**, **Amussatius**, **Le roy d'Etiolius** et **Heurteloupius** invenerunt ingeniosissime et felicissime, lithotomia inutilis paene et superflua reddita videri possit, commentationem de antiquissima et fere oblivione obruta calculi secandi methodo publice editurus sim, ut causam cur hoc aggressus sim exponam, jure postulari videtur.

Praeconum praeoccupatorum clamore neglecto opinionibusque praejudicatis remotis quisque rei satis peritus concedet, unicam ad omnes casus praestantissimam calculi secandi rationem ne nostris quidem temporibus commendandam, sed multo magis pro cujusque aegroti conditione modo hanc modo illam optimam esse eligendam. Eadem ratio in judicio de praestantia ejus methodi calculorum removendorum, quam vocant **Lithotripsiam**, ferendo est ineunda. Quo plura enim ex illa saepenumero

calculosis eveniunt commoda, eo minus illis prodest, qui haud raro senio confecti frustra instrumentis lithotripticis innumerabilibus cruciantur. Omnium ergo rationum calculorum curandorum scientia Chirurgo necessaria est, ut cuivis casui aptissimam eligere possit.

Quamquam equidem non dubito, Epicystotomia et Proctocystotomia minime contemnendis, sectionem lateralem ad modum Langenbeckii *) vel Roberti Listoni **) tentatam optimam esse calculi secandi rationem, attamen persuasum mihi habeo, *in pueris, qui jam novem annos, nondum quatuordecim excesserunt, lithotomiam Celsianam vel apparatus parrum***), tum praecipue esse adhibendum, quum vel applicari catheter nequeat, vel calculus ita in vesicae cervice collocatus sit, ut digitis intestino recto immissis facile in perinaeum deprimi possit.*

*) Ueber eine einfache und sichere Methode des Steinschnittes. Würzb. 1802.

**) The Edinburgh med. and surg. Journal. 1. Jan. 1825.

***) Aul. Cornel. Celsus, e cujus scriptis tantum octo de Medicina libri nobis relictis sunt, primo p. Ch. natum saeculo vixit atque secundum Ammonii, Tryphonis, Euelpisti praesertim autem Megetis praecepta Chirurgiam calculique secandi methodum elegantissime descripsit. Neque ex suis neque ex antiquioribus temporibus alia Lithotomiae descriptio usquam inveniri potest. Antyllus tertio p. Ch. natum saeculo vixit e cujus operibus fragmenta tantum in aliorum auctorum scriptis reperienda nobis exstant. Quae quum ita se habeant, nonne absurdum omnino videtur, Antyllum antiquissimum calculi secandi methodi scriptorem appellare, quod finxit Velpeauvius (cf. *Nouveaux éléments de Médecine opératoire. Bruxelles 1835 p. 475*:

Il s'en est suivi que le procédé, connu sous le nom de Methodus Celsiana ne lui appartient réellement pas. C'est dans les auteurs grecs qu'il faut en aller chercher le principe. Peut-être même de plus amples recherches apprendront-elles que l'ancienne Egypte est son origine; tandis que le véritable appareil de Celse appartiendrait à l'école d'Alexandrie. Comme Antyllus est le premier, qui l'indique clairement, il convient, je crois, de la désigner sous le nom de cet ancien auteur).

Quibus verbis auctor scribendo aequè promptus atque in inveniendò bene versatus demonstrare nobis videtur, se vel Celsum satis accurate nunquam legisse, vel aliquid novi tantum proferre voluisse.

Quae quum ita sese habeant, quis est, qui neget, cognitionem hujus methodi accuratam Chirurgo esse necessariam? Quum autem nostris diebus sint perpauci, qui Celsum legerint, mirandum non est vix nonnullos reperiri, qui apparatus parvum ex Celso ipso cognitum habeant; in enchiridiis enim chirurgicis ipsis, vel iis quae viri docti ediderunt, nil de apparatu parvo traditum est, nisi aut manca aut falsa eaque ex interpretibus exscripta, et ut satis pateat, ipsos auctores doctos Celsum manu non versavisse. Recentiori tempore plurimorum judicium Dupuytreni auctoritas ita coërcuit, ut, quantumcunque complicatae sectionis bilateralis conditiones ab simplici illa prisca Celsi methodo recedant, tamen obedientissime creduli Chirurgi in verba Parisiensis magistri jurarent, atque suo ipsorum judicio vix usi contenderent, sectionem bilateralem Dupuytreni optime cum lithotomia Celsiana convenire. Nam etiamsi sectio bilateralis, lithotomo abscondito duplicato (*Lithotome double caché*) perficienda, nova eaque ingeniose a Dupuytreno excogitata ratio calculi secandi nominanda sit, quam quidem nimia qua eam tollit auctor laude dignam non esse aliorum Chirurgorum experimenta docuerunt; tamen et instrumentis nimis artificiose compositis et secandi ratione plane differt ab lithotomia Celsiana. Nam sine specillo canaliculato, cultro simplici, in pueris intra nonum et decimum quartum annum natis parvus tantum apparatus adhibendus est, contra sectio bilateralis quae melius hominibus adultis convenit quam pueris, specillum bene canaliculatum, cultrum simplicem et duplicem, praeterea vero et forcipes requirit. Praeterea secandi rationes omnino differē^r atque *parvum potius apparatus haud exiguam similitudinem cum sectione laterali habere*, postea demonstrare conabor.

Quamquam me non fugit, viros celeberrimos, qui de calculi secandi

ratione quae vocatur Celsiana inde ab ultimo saeculi decimi sexti anno usque ad nostra tempora egerunt, ingenio, eruditione atque experientia valde me antecellere et qui controversias dirimerent me longe digniores fuisse; tamen non possum non dolere, illorum Celsi interpretum ne unum quidem ita verba ambigua explicuisse, ut acquiescere in iis possim. Nonnulli enim eorum Celsi verba vel omnino non accurate inspexerunt et novas excogitarunt calculi secandi methodos, e. g. Heisterus, Jo. Bapt. Palletta, Jo. Bellius, Dupuytrenus, vel falso explicuerunt, velut Bromfieldius, Chaussierus, Beclardus, Turckius, vel in singulis tantum verbis explicandis erraverunt, velut Clossius et qui eum sequuti sunt.

Qui autem opinantur, me primum tam strenue sententias et scripta clarissimorum illorum virorum reprehendere, valde errant. *C. G. Kühnius* enim, Professor nuper defunctus Lipsiensis, (opuscc. academic. medic. et philolog., quae prodire Lipsiae 1828, Vol. I. a pag. 191 usque ad pag. 224, commentatt. LVIII, LIX, LX et LXI in Celsi Libr. VII. c. 26. de calculi sectione) fusius jam castigavit errores, ab hujus loci interpretibus Heistero, Bromfieldio, Clossio, Jo. Bellio, Palletta, Chaussiero, Beclardo, Turckio, Dupuytreno aliisque commissos. Quae quidem notae ab Ill. Kühnio verbis non minus luculentis et elegantibus ita prolatae sunt, ut omnino ineptum videatur, hoc loco iterum peccata interpretum venerandissimorum recensere. Itaque ex illorum sententiis ea tantum, quae Kühnius aestimandissimus non satis castigavit, quaeque ad rem dijudicandam prorsus pertinere mihi videntur, in hujus commentationis decursu aptis locis in iudicium vocare in animo est. In primis autem interpretationem et explicationem verborum Celsi, quae mihi aptissima visa est, quaeque a reliquorum sententia longe recedit, virorum hujus rei gnarorum atque peritorum iudicio offerre institui, quod Kühnius,

qui quam diligenter atque egregie recensuit Celsi de calculi sectione interpretes, tam caute suam de hac re celavit sententiam, plane omisit. De variis editionum lectionibus quidquam proferre eo lubentius omisi, quod Leonardus Targa in altera Celsi editione, quae Veronae prodiit 1805, ex Vaticano codice, omnibus Mediceis antiquiore, ad fidem textum exhibuit genuinum, et Kühnius ex hac editione, in Germania hucusque perrara, verba Celsi l. c. p. 195—200 accurate adnotavit et quae ad verba et sensum spectant docte explicuit; quem igitur sequendum esse ratus sum. Quod autem ad alios locos Celsi nonnunquam in commentatione mea laudandos attinet, sane dolendum est, mihi tantum priori editione L. Targae Lugd. Batavorum 1785 curata et ab G. Matthia lexico instructa utendum fuisse, quum recentiore nancisci mihi non contigerit.

Antequam autem rem ipsam aggrediar, praestantissima de Celsi lithotomia scripta commemorare licebit:

Valerü Mavii comment. in *Celsi* libr. VII, c. 26. Vitebergae 1600 in 4. in Halleri biblioth. chir. T. I. p. 275 cit.

L. Heister, de lithotomiae Celsianae praestantia et usu. Helmstadii 1744 in 4. Censura h. libelli legitur in Halleri disputat. chir. selectis.

Bromfield, *Chirurgical observations and Cases*. London 1773. Vol. II, p. 218, 366, 367 seq. ins *Deutsche übersetzt und mit einigen Zusätzen vermehrt*. Leipzig 1774 p. 387 etc.

C. Fr. Clossii Diss. inaug. sist. Analecta quaedam ad methodum Lithotomiae Celsianae. Tubingae 1792. 4.

Ploucquet et Rüdiger, De praestantia cystotomiae Celsianae. Tubingae 1808.

Pierre Morland, *Propositions sur divers objets de médecine*. Paris 1805. (*Chausierium* et *Ribesium* in hac disputatione sententiam defendisse inprimis, coxas non voce lumbi sed v. *ischia* explicandas esse, *Richerandus* enarrat, in *histoire des progrès récents de la Chirurgie*. Par. 1825. 8. §. 16. p. 82.)

Béclard, *Propositions sur quelques points de médecine*. Paris 1813.

- Jo. Bapt. Palletta, della litotomia Celsiana in Memoire dell' Instituto nazon. Italiano. To. I, Pa. I. p. 86—117.*
- Jo. Bell, The principles of surgery, London 1815. 4. Vol. II. p. 59—61.— v. Frorieps chirurg. Kupfertafeln. Weimar 1822, XV. Heft. Taf. LXXI.*
- Sebast. Ant. Turck, De l'incision, pratiquée par Celse dans l'opérat. de la taille chez les hommes. Strasbourg, 1818 4. (Recens. in Journal complémentaire du dictionnaire des sciences médicales. To. III, p. 184 et 185.)*
- Delpech, de Dupuytreni interpretatione lithotomiae Celsianae in diario gallico nominato Revue médicale. Août 1824. p. 181, translatum in Frorieps Notizen J. 1824. Bd. IX. N. 3. p. 41. 55.*
- C. G. Kühn, Comment. in Celsi lib. VII, c. 26. De calculi sectione Programm. I—IV. Lipsiae 1822 et 1823. renov. et aucta in ejus opusc. acad. med. et philolog. Lipsiae 1828. Vol. I, p. 191 seq.*

Interpretatio.

Celsus Libr. VII, c. 26 de calculi sectione, §. 2. p. 400 secundum primam editionem ab L. Targa Lugd. Batavorum curatam, ait:

Cum jam eo (ad cervicem vesicae) venit (calculus), incidi super vesicae cervicem juxta anum cutis plaga lunata usque ad cervicem vesicae debet, cornibus ad coxas spectantibus paululum: deinde ea parte, qua resima plaga est; etiamnum sub cute altera transversa plaga facienda est, qua cervix aperiatur; donec urinae iter pateat sic, ut plaga paullo major, quam calculus sit. Etc.

Etiamsi negari non potest, hanc operationis describendae rationem prope singularem nec non elegantiore esse laudandam, neque quisquam dubitabit, quin nemo aequalium Celsi in his haesitaverit; attamen nostrorum temporum hominibus quaedam neque accurate neque satis perspicue dicta videri, quicumque hunc Celsi locum investigaverit facile intelliget.

Qui dicunt, Celsum praescripsisse, una tantum plaga cuncta tegmina usque ad calculum ipsum esse incidenda, eum Celsi verba accurate legisse vix crediderim.*) Hac enim ratione accuratius quam fecit auctor

*) Inter quos praecipue Guidonus Cauliacus referendus est, qui falsam illam interpretationem ex Antylli reliquorumque infimae aetatis auctorum scriptis propagavit Celsique egregie scripta tantopere corrupit. Quae quidem inepta interpretandi ratio inprimis effecit, ut apparatus parvus negligetur.

celeberrimus scribi haud potest, ita ut de duplici in lithotomia Celsiana incisione facienda (scilicet altera per tegmina communia usque ad vesicae cervicem, altera deinde per cervicem vesicae usque ad calculum), ne minima quidem dubitatio remaneat cuique latinae linguae satis perito. Itaque ad rem bene expediendam has incisiones in commentatione mea seorsum tractare optimum duxi.

C A P U T I.

De incisione externa.

Ut *directio* incisionis Lithotomiae Celsianae externae recte cognoscatur, ante omnia disquirendum est, quomodo explicanda sint verba: „*plaga lunata juxta anum cornibus ad coxas spectantibus paullum incidi debet cutis.*“

Hujus loci interpretes usque ad annum 1773 praepositionem „*juxta*“ per *apud, ad, neben, bei* explicuerunt, atque quoniam Chirurgus, qui primis digitis sinistrae manus intestino recto immissis fixum tenet calculum in vesicae cervice, dextra manu in dextro latere perinaei vix vel difficillime tantum incidere potest, locum incidendi juxta anum recte in sinistro latere perinaei designarunt.

Bromfieldius tunc temporis primus exstitit, qui voculam „*juxta*“ sensu latiori idem indicare censuit, quod *ἐγγύς, prope*, quumque arbitraretur, *coxas* significare tubera ossium ischii, coactus fuit, ut *juxta* pro *supra* sumeret, atque plagam lunatam cornibus ad coxas spectantibus, i. e. tubera ossis ischii, supra anum per raphen fieri juberet.

Auctor ille celeberrimus l. s. l. Vol. II. p. 218 ex interpretatione sua incisionem externam lithotomiae Celsianae his verbis describit:

„The most ancient method of cutting for the stone, with which we are acquainted, is described with great accuracy and elegance by Celsus, who makes an incision in perinaeo immediately upon the stone, though not in the same direction with that which is now made, in what is called the lateral operation: for in one part of Celsus's direction, namely that for making the first wound down to the neck of the bladder, he appears to me to be generally misunderstood by the moderns. He says, „a lunated incision is to be made near the anus, down „to the neck of the bladder, so as the horns of the incision may point towards „the coxae; and, from the bottom of the wound thus made, where it is narrow, a second incision must be made transversly“ etc.

Sub finem demum ejusdem libri p. 369, imagines aeri insculptas explicaturus hanc interpretationem a prioribus omnino diversam his argumentis fulcire studet:

But as Celsus by coxae certainly meant the whole of the ossa innominata, I should rather suppose, that the cornua of the lunated wound should point towards the tubercula of the ischia; for the knife, by passing above and on each side of the anus, would thereby avoid wounding the intestinum rectum, and a very considerable wound would be made with the greatest advantage, in respect to situation, for the extraction of very large stone etc.

Post Bromfieldium Chaussierus, Beclardus et Turckius eandem paene interpretationem in scriptis supra laudatis protulerunt demonstraturi, incisionem transversalem et arcuatam supra anum cornibus ad tubera ossium ischii per raphen esse instituendam.

Paullo post Dupuytreno quoque, Bromfieldium autem omnino praeter-eunti, contendere placuit, omnes priores interpretationes hunc Celsi locum

respicientes penitus rejiciendas esse. Vir ille celeberrimus plus auctoritate sua quam ullo argumento historico critico usus probare studuit, incisionem transverse supra anum raphen penetrantem solam eam esse, quam Celsus verbis istis exprimere voluerit. Quum autem praeterea nova argumenta sententiae suae Dupuytrenus afferre omiserit, ea quoque singulatim refutare non possumus, sed universim tantum refellere eum debemus, partim in iis, quae contra Bromfieldii argumenta dicemus, partim quae infra ad hanc interpretationem expellendam in universum prolaturi sumus. Idem judicandum est et de Chaussieri, Beclardi et Turckii interpretandi ratione, quae plane congruit cum sententia Bromfieldii. Monendum est, me de externa tantum incisione hoc loco loqui.

Quae autem Bromfieldius verbis supra allatis protulit argumenta ad opinionem suam firmandam, iis mea opinione haec omnino sunt opponenda:

1) Dialectica quidem ratiocinatione effici non potest, eam ob causam, quod Celsus ossa innominata *coxas* nominet, hac voce tubera quoque ossium ischii ab eo appellari.

2) Incisione transversali prope vel potius supra anum medium perinaeum transgrediente laesio intestini recti non tutius evitatur, quam incisione laterali.

3) Celsus nec de incisione externa valde ampla perficienda, nec de calculis permagnis detrahendis usquam locutus est. Immo contrarium ex eo conjiciendum videtur, quod lithotomiam in pueris tantum novem vel quatuordecim annorum instituendam suadet, ubi calculi majores rarissime occurrere solent.

Praeterea autem ut mihi quidem videtur contra Bromfieldii, Chaus-

sieri, Beclardi, Turckii denique Dupuytreni interpretationem in universum haec fere argumenta sunt proferenda:

4) Veteres Chirurghi laesiones medii perinaei, quod vocant *commissuram* nosque appellamus *raphen*, perniciosissimas, immo letales eamque ab causam plane evitandas duxerunt.

Cf. *Avicenna* (Secunda pars Gentilis super Tertio Avic. cum supplementis Jacobi de partibus Parisiensis ac Joannis Mathei de gradi mediolanensis ubi Gentilis vel breviter vel tacite pertransivit). Sumptibus Aloysii de Castello Comensis: nec non Bartholomei de Morandis Bergomensis sociorum. Anno 1511. Can. III. Fen. XIX. Tractatus I. Cap. VII. Folio 410^b.

Donec descendat lapis ad locum aprominquoem ori vesicae et studeat, ut expellatur lapis taliter ut removeatur a commissura quantitate unius pili et cave ne scindas supra commissuram quoniam est malum. Commissura enim est locus mortalis.

Haud immemores esse debemus, lithotomiam Celsianam sine specillo canaliculato instituendam et calculum cum vesicae cervice atque urethra digitis ano immissis in perinaeum deprimendum esse, quamobrem quisque rei satis peritus intelliget, bulbum urethrae incisione supra anum raphen transverse dissecante non solum facillime laedi sed vel penitus dissecari posse. Immo vero contendi potest, hanc bulbi urethrae laesionem vix esse evitandam.

5) Scriptores, qui proximi Celsum sequuti sunt quique ex scriptis ejus non minus hauserunt quam ore hominum propagata acceperunt, velut *Paulus Aegineta* et *Albucasis*, sinistro perinaei latere juxta raphen incidere distinctis verbis suadent.

Cf. *Pauli Aeginetae* totius rei medicae Libr. VII. per Joannum Cornarium medicum Physicum scripti. Basileae 1556. p. 231.

Nos autem accepto instrumento excidendis calculis idoneo, inter sedem et testes, non juxta medium interfemineum, sed ad alteram partem, ad sinistram natem,

obliquam sectionem faciemus, in ipsum occurrentem lapidem secantes, ita ut sectio extrinsecus amplitudinem habeat, intrinsecus autem non amplius, quam ut lapis per ipsam excidere possit.

Albucasis de Chirurgia. Arabice et latine. Cura Joannis Channing. Oxonii 1778
Lib. II. Sect. LX. p. 285.

Et incidas in interstitio quod est inter anum et testiculos non in medio, sed ad latus sinistrae clunis; et sit sectio super ipsum calculum (in ano restet digitus tuus): et tu premendo adigas calculum extrorsum. Et fiat sectio (altera) transversa, ut sit sectio externe ampla, interne arcta, ad eam mensuram, ut exeat calculus ex eo; non major sit.

6) Credendum est, Celsum, si incidi voluisset hunc locum, cujus laesionem veteres letalem putavere, sine dubio accuratius incisionem illam per commissuram perinaei inusitatam et valde formidatam descripturum, neque ambigue interpretanda vocula „*juxta*“, sed potius perspicuo vocabulo „*supra*“ usurum fuisse.

7) Celsus non praescripsit, cornua plagae lunatae plane i. e. *omnino, perspicue* ad coxas dirigenda esse, sed multo magis distinctis verbis ita incidi jubet, ut cornua plagae *lunatae paulum tantum* ad coxas spectent. Quam ob rem mihi quoque persuasum habeo, verbo *paulum* praesertim obliquam incisionis directionem explicandam esse, quod postea demonstraturus sum.

8) Denique ex analogia conjicere licet, incisionem externam in lithotomia puerorum a sinistro perinaei latere institutam esse, quoniam Celsus in virginibus hoc loco eam perfici distinctis verbis praescribit Lib. VII. C. XXVI. 4. p. 405 ubi ait:

Tum, virgini quidem, sub ima sinisteriore ora incidendum est.

Quum autem diversae notiones, quas auctores verbo „*coxa*“ inesse crediderunt, sine dubio permultum ad opiniones de directione incisionis

externae diversas excitandas valuerint, haud alienum puto a consilio, quod in hac commentatione mihi proposui, rectam atque congruam verbi *coxa* notionem si fieri potest exponere. Mea quidem sententia ex variis Celsi locis cum nostro comparatis, ubi eodem vocabulo usus est, et ex totius enunciationis sensu ipso recta hujus verbi interpretatio inveniri potest.

Planissime et disertis verbis ostendit notionem generalem hujus vocabuli Lib. VIII, C. 1. extr. p. 425:

Ima vero spina in coxarum osse desidit, quod transversum longeque valentissimum, vulvam, vesicam, rectum intestinum tuetur, idque ab exteriori parte gibbum, ad spinam resupinatum, a lateribus, id est, in ipsis coxis sinus rotundos habet: a quibus oritur os, quod pectinem vocant, idque subter intestina sub pube transversum ventrem firmat rectius in viris, recurvatum magis in exteriora in foeminis, ne partum prohibeat. Inde femina oriuntur, quorum capitâ rotundiora etiam quam humerorum sunt, cum illa ex caeteris rotundissima sint. Infra vero duos processus a priore et a posteriore parte habent. Dein dura et medullosa et ab exteriori parte gibba: rursus ab inferioribus quoque capitibus intumescunt. Superiora in sinus coxae, sicut humeri in ea ossa, quae scapularum sunt, conjiciuntur, tum infra introrsus leniter tendunt, quo aequalius superiora membra sustineant.

Ex hac descriptione elucet, Celsum hoc loco vocula *coxa* id designasse, quod nos *pelvim* appellamus.

Porro Lib. VIII. C. 10. §. 5. p. 451, ubi de crurum femorumque fractorum curatione agitur, legimus:

Esse etiam is (canalis) debet a planta, si crus fractum est, circa poplitem: si femur, usque ad coxam: si juxta superius caput femoris, sic ut ipsa quoque ei (in eo) coxa sit.

Hoc loco Celsus verbo *coxa* nates designasse mihi videtur. Jabet enim his verbis canalem, i. e. ferulam excavatam, in fractura colli capitis femoris tam longam applicari, ut nates ab ea recipiatur.

Porro Lib. II. Cap. 7. p. 45 ait:

Coxaeque dolores manent,

quo loco sine dubio os sacrum vel regionem sacro-lumbalem hoc verbo complectitur.

Libr. IV. Cap. 1. p. 147 legitur:

Ipsa autem ilia inter coxas et pubem imo ventre posita sunt.

Quibus elucet, ossa ilium *coxas* nominari.

Lib. IV. Cap. 20. §. 1. p. 186. articulatio femoris in acetabulo pelvis hac voce significatur, legimus enim hoc loco:

Intra haec etiam perfricare coxas poplites oportet.

Lib. VII. C. 26. §. 2. p. 398. loco proxime cum verbis hac commentatione praesertim interpretandis cohaerenti eamque ob causam gravissimo ait Celsus:

Homo praevalens et peritus in sedili alto considit, supinumque eum et aversum, *super genua sua coxis ejus collocatis*, comprehendit; reductisque ejus cruribus, ipsum quoque jubet, manibus ad suos poplites datis, eos, quam maxime possit, attrahere, simulque ipse sic eos continet.

Hinc sine dubio voce *coxae* nates designatae sunt, etiamsi enim sensu strictiore in tuberibus ossium ischii considimus, attamen sensu latiore in natibus quoque sedemus. Ceteroquin cuique rei perito satis certo patebit, Celsum hoc loco voce *coxae* tubera ossium ischii commode indicare non posse:

1) quoniam Chirurgus perinaeum aegroti, qui in tuberibus ossium ischii considit, incidere omnino nequit, atque

2) quia aegrotus situm supra praescriptum obtinens trunco supinato reductisque cruribus in tuberibus ossium ischii plane considerare non potest, sed potius in posterioribus natium partibus acquiescere debet.

Praeterea huic interpretationi aliquid momenti ex eo accedere videtur, quod Celsus voce *natis* sive *nates* nusquam utitur, sed potius partes, in quibus sedent homines, coxas appellat.

Ex locis supra commemoratis apparet, Celsum voculam *coxa* mox sensu latiore pro pelvi et natibus, mox arctiore pro aliqua pelvis parte velut pro osse ischii, ilium, sacro, vel pro femoris in acetabulo articulatione adhibuisse. Ex descripto autem situ aegroti, qui ob calculum vesicae secandus est, patet, quod demonstrasse mihi videor, loco nobis interpretando voce *coxae* indicari *nates*.

Quibus concessis efficitur, fines incisionis lunatae versus ambas nates, in situ aegroti supra descripto prominentes, vergere debere. Quum autem Celsus distincte dixerit, plagam lunatam juxta anum cornibus *paululum* tantum ad coxas spectantibus incidi debere; nequaquam intelligenda est incisionis directio transversaria, sed potius obliqua, ita ut fines vel cornua ejus ex altera parte sursum, ex altera autem deorsum nates spectent.

Quod attinet ad lunatam incisionis formam, haec duplici ratione explicari potest: Primo enim ratiocinari possumus, Celsum indicare voluisse incisionem infundibulo similem, in mediis cornibus profundioram, ita ut intrinsecus excavata vel semilunata evadat sensu latiore.

Deinde ad directionem externam tantum lunata plagae forma referri potest, quemadmodum illa juxta anum extrinsecus in perinaeo instituenda est nulla illius altitudinis ratione habita.

Quamvis secundum variantem lectionem librorum vulgarium Codicisque Palavicini, qui legunt: deinde ea parte, qua *strictior* ima plaga est, concludendum esset, incisionem externam in omnibus suis partibus non aequè profundam, sed potius in medio finibus altiore vel profun-

diorem, i. e. infundibulo similem, instituendam esse; attamen praeferenda mihi videtur cum L. Targa et C. L. Kühnio melior lectio Codicis Medicei reliquis vetustioris:

Ea parte, qua *resima* plaga est etc.
et censeo, Celsum formam incisionis externae lunatam tantum quoad perinaei superficiem spectat intelligi voluisse atque distincte hanc indicasse verbis:

Juxta anum *plaga lunata* cornibus ad coxas spectantibus paullum.

Particula *juxta* hoc loco vicinitatem et substantivi cui adjicitur directionem vel formam exprimere atque idem significare mihi videtur, quod nos dicimus vernacule *daran vorbei*, *daran hin*, quo sensu e. gr. invenitur etiam apud

Caes. bell. civ. I, 16: „juxta murum castra posuit.“ Virg. Aen. III, 506: „vicina Ceraunia juxta.“ Nep. Attic. c. 22: „juxta viam Appiam etc.“

Plaga igitur lunata juxta anum talem habebit directionem, ut concavum ejus latus ad orificium ani conversum sit. Non solum ex argumentis, quae verbis insunt, quum particula *juxta* propinquitatis notionem complectatur, sed ex anatomica quoque ratione, quum incisione non nimis ab ano remota arteria pudenda atque transversa perinaei illaesa maneat, concludere possumus, hanc incisionem externam neque loco nimis alto supra anum initium cepisse, neque partes externas, i. e. ramum ascendentem ossis ischii et descendentem ossis pubis, petiisse; sed potius eadem circiter distantia ab ano factam esse videri, qua sectio lateralis fieri solet. Laesio intestini recti in Lithotomia Celsiana minus timenda est quam in sectione laterali, quum cervix vesicae cum calculo, digitis sinistrae Chirurghi manus in perinaeum deorsum depressa atque detrusa, intestinum rectum, pone illam situm, quodammodo tueatur.

Quodsi vero interpretatio, quam hucusque argumentis firmare conatus sum, in sinistra perinaei parte prope anum incisionem *lunatam* cornibus ad coxas vel nates paullum spectantibus faciendam esse, recta atque probabilis apparet; simul etiam conjiciendum est hujus plagae lunatae concavam partem anum versus, convexam autem versus ramum ascendentem ossis ischii et descendentem ossis pubis conversam esse debere; plaga enim lunata contrario modo facta cornibus *ad unam tantum coxam, sinistram* scilicet, non ad *ambas coxas* vel nates, spectaret, quod Celsus expressis verbis praecepit.

Quod *Clossius* omnino neglexisse eamque ob causam hac in re plane errasse mihi videtur. Ait enim in *Dissert.* supra citata p. 21:

Ipsa etiam Celsus (hanc) plagae directionem indicavit, quum praecipit, cornua plagae lunatae ad coxas, h. e. ad eam pelvis regionem, ubi acetabula sunt, esse dirigenda. Ad dextri vero acetabuli regionem cornua plagae lunatae et obliquae spectare non potuisse, re ipsa patet, verum ad sinistri acetabuli regionem, *convexa parte anum, concava vera ramum descendentem ossis pubis et ascendentem ossis ischii* versus.

Praeterea etiam auctor ille venerandissimus in errore versatur dum *coxas* voce *acetabula* eam ab causam interpretatur, quod *Cels. Libr. VIII. C. I.* dixerit:

Superiora (femorum) capita in *sinus* coxae, sicut humeri in ea ossa, quae scapularum sunt, conjiciuntur.

Celsus enim hoc loco acetabula distincte *sinus* appellat, et *sinus coxae partem tantum* coxarum, non *coxas* ipsas significant.

Cum autem percunctamur, qua de causa Celsus non rectam oblique perinaeum dissecantem incisionem, sed potius lunatam vel curvatam plagam fieri jusserit, statim sese offert argumentum haud leve, quod incisio arcuata in perinaei spatio arctiori majus efficit vulnus quam plaga

recta. Arcus enim segmenti in circulo semper major est chorda ejusdem segmenti. Itaque et incisio externa ex Celsi praecepto arcuata facta majus vulneris externi spatium praebet calculique extractionem expeditiorem reddit, quam quae post eum tentata est recta linea incisio.

Quamvis methodus calculi vesicalis secandi, quam Le Cat exercuit, ceteris momentis valde differat ab Lithotomia Celsiana, tamen incisionem externam simili ratione Chirurgus ille celeberrimus fecisse videtur. Cf. *Parallèle de la taille latérale de Mr. Le Cat avec celle du lithotome caché* p. 41:

Je termine (l'incision) obliquement sur la fesse gauche, au dessous et en dedans de la tubérosité de l'ischion, par une ligne un peu courbe, dont la concavité regarde un peu l'anus.

Incisio externa, qualem equidem Celsi verbis inesse statui idque argumentis anatomicis et ex arte grammatica et critica petitis confirmavi, si incidendi locum et directionem accuratius demonstrare licet, hac ratione instituenda erit.

Sub urethrae bulbo, octo vel duodecim lineas supra anum incidatur in loco sinistrae perinaei partis duas vel tres lineas a raphe distante, eaque incisio linea paullum arcuata producaturo supra extuberationem, quam calculus depressus in perinaeo efficit, usque ad mediam lineam quam a tubere ossis ischii sinistri usque ad orificium ani ductam tibi fingas, ita ut concava ejus pars versus anum, convexa autem versus ramum descendentem ossis pubis et ascendentem ossis ischii porrigatur et cornu ejus superius paullum ad natem dextram, inferius autem ad natem sinistram spectet.

Hac incisione separantur cutis, fascia perinaealis, musculus transversus perinaei et musculi levatoris ani pars anterior et fortasse rami

musculares arteriae pudendae communis, in vulneris fundo cervix vesicae et pars prostatica urethrae denudatae et deorsum depressae sentiri possunt, vulnus externum, hac ratione factum, ad calculos extrahendos satis amplum redditur, neque Celsi praescripta:

Incidi super vesicae cervicem juxta anum cutis plaga lunata usque ad cervicem vesicae debet, cornibus ad coxas spectantibus paullum:

— corrumpuntur.

C A P U T II.

De plaga interna.

Quum Celsus verbis distinctis dicat:

Cutis incidi debet usque ad cervicem vesicae,

et in describenda operatione pergat his verbis:

Deinde ea parte, qua resima plaga est, etiamnum sub cute altera transversa plaga facienda est, qua cervix aperiatur donec urinae iter pateat etc.;

nemo sane dubitare potest, quin duae plagae secundum Celsi praecepta faciendae sint, altera nempe lunata cutem tantum penetrans, altera transversa sub cute in vesicae cervicem ipsam urethramque.

In majorem difficultatem incidimus, ubi quaerimus: *quaenam fuerit directio vel quaenam ratio inter hanc internam plagam et externam intercedat; et qua ratione cervix vesicae usque ad urethram sit aperienda?*

Primum de directione qualem altera plaga habere debet versus priorem, deinde de cervicis vesicae ipsius aperiendae ratione disseremus.

I. *Directio alterius plagae versus priorem* mea quidem sententia verbis:

Ea parte, qua resima plaga est etiamnum sub cute altera transversa plaga facienda est etc.

explicari debet.

Adjectivum *resimus* idem quod *concavus*, *recurvus*, *retusus* significat. Itaque incisio altera in ea parte externae plagae sub cute incipere debet, ubi haec *retusa*, *recurva* vel *concava* est. Quod punctum in media linea semilunata circiter quaerendum esse mihi videtur, quum ibi linea *recurvetur* vel *concava* reddatur. Quamobrem ita statuo, alteram transversam plagam paene in media plaga lunata ejusque *concava* parte incepisse.

Quamvis lectionem „*resima*“, quam Morgagnus, Targa et Kühnius vetustissimam aliis praetulerunt, pro optima habeam, tamen reliquas plane praeterire nolo. Vulgati libri legunt *qua strictior*, alii codices *qua stragesima plaga est*. — *Strictior* autem est plaga in ea parte, ubi altior penetravit, i. e. plerumque in media, itaque hac variante lectione fere idem significaretur, quod vocula *resima* exprimitur. Adjectivum *stragesimus* nusquam, ne in Forcellini quidem lexico, neque in ejusdem appendice vocabulorum barbarorum reperire potui. Sine dubio autem ex substantivo *strages* factum est et idem quod *prostratus*, *dejectus*, *subversus* significat. Quibus apparet, hanc quoque pessimam lectionem demonstrare, alteram plagam ab ea parte prioris incipere debere, qua haec deorsum sese subvertit, i. e. in media paene linea arcuata. Postquam initium alterius plagae designavimus, quaerendum est, utrum haec altera transversa plaga ad dextram an ad sinistram perinaei regionem perducenda sit? Cui quaestioni verba:

Qua cervix aperiatur donec urinae iter pateat, inservire videntur. Cervix vesicae digitis ano immissis in sinistram perinaei partem, ubi fundus vulneris externi est, deprimitur; urethra autem a cervice vesicae oblique ad dextrum latus, ubi arcui ossium pubis affixa est, sese convertit. Quo efficitur, incisionem qua cervix vesicae et urethra aperiuntur, ab sinistro latere ad dextrum perducendam esse. Ratio igitur inter incisionem internam et externam circiter eadem intercedere debet, quae inter chordae partem et ejusdem arcum.

Quum autem Celsus disertis verbis dicat, alterius plagae directionem transversam, prioris autem lunatam esse debere; ex mea sententia concludendum est, priorem incisionem non transverse, sed potius oblique perficiendam esse: quoniam vix credendum est, scriptorem tam perspicuum, qualis Celsus est, id altero demum loco indicasse, quod de primo loco intelligi voluerit. Ceteroquin intelligi vix potest, quomodo in resima seu concava parte plagae lunatae, quae transverse perinaeum dissecat, alia transversa plaga duci possit?

Quum jam alterius transversae plagae directionem versus lunatam ex Celsi verbis recte indicasse mihi videar, reliquum est, ut ostendam

II. qua ratione vesicae cervix ipsa aperienda sit, utrum directione transversaria an longitudinali?

Qui olim de Lithotomia Celsiana scripsere, incisionis in vesicae cervice faciendae directionem accuratius describere aut omiserunt, aut ad modum Antylli una eademque plaga partes externas et internas dissecandas esse praeceperunt. Bromfieldius ipse nec verbis neque in imagine aeri insculpta et libro supra citato adjecta conditionem hujus incisionis internae perspicue notavit. Ait enim p. 369 l. c.

A second incision to be made transversely, by which the neck of the bladder is to be opened;

e quibus conjiciendum est, eum directione transversaria vesicae cervicem disseccasse; attamen p. 370 ejusdem libri, ubi de disquisitione anatomica partium discissarum agit, eandem distincte depingit longitudinalem his verbis:

The urethra was opened in its membranous part, on the left side, from the posterior extremity of the bulb, to the anterior point of the prostate gland.

Priore autem loco, p. 219, ubi item de harum ambarum incisionem directione disserit, haec verba leguntur:

These two wounds make a kind of imperfect crucial incision, as may appear to any one who considers the posture the patient to be cut is put into by Celsus's direction;

quibus locis inter se comparatis elucet, Bromfieldium directionem alterius plagae ad primam atque ad vesicae cervicem aut non satis perspicue mente perpendisse, aut certe non satis distincte descripsisse. Si enim cervix vesicae digitis ano immissis in perinaeum medium, scilicet in fundum vulneris lunati, raphen transverse penetrantis, recta linea deorsum deprimitur, necesse est, ut urethra, musculis Wilsoni arcui ossium pubis affixa, ante vesicae cervicem collocata sit atque per incisionem transversam prius omnino perscindatur quam culter vesicae cervicem attingere possit. Praeterea incisione hac ratione facta semper anterior non posterior vesicae cervicis paries disseccatur. Denique illud vituperandum est, quod Bromfieldio placuerit pejor varians lectio:

Qua strictior ima plaga est,

qua utuntur vulgati libri atque sensus loci obscurior quam clarior redditur.

Francogalli Chaussierus, Beclardus, Turckius et Dupuytrenus opiniones suas de hac loci interpretandi parte distinctius quidem exposuerunt et perspicuis verbis ita commentati sunt, ut *collum vesicae transverse incidendum esse* dicerent, attamen, quod dolendum est, argumenta sufficientia afferre omiserunt.

Ego autem non solum contrariam sententiam propono, sed etiam argumentis anatomicis et ex arte grammatica et critica petitis confirmare conabor.

De sectione laterali, quae ab illis recens excogitata atque sensim magis exculpta est, hoc loco eam ob causam nil proferam, quoniam utpote nova omnino calculum secandi methodus, ad rem non pertinet.

Ex *ipsis Celsi verbis*, et ex *positione colli vesicae urethraeque* in plagae externae fundo, qualis in sinistra perinaei parte evadit, demonstraturus sum, *directionem alterius plagae transversam non ad vesicae cervicem, sed tantum ad directionem primae plagae obliquam spectare.*

1) Quod ad priorem attinet rationem, maximi momenti esse videtur ut recte interpretemur verba:

Qua cervix aperiatur donec urinae iter pateat, quae a plurimis interpretibus falso, velut a Bromfieldio (qui iter urinae falso omnino intelligit urinae effluvium sive profluvium, cf. l. c. p. 218:

A second incision must be made transversely, by which the neck of the bladder is to be opened, and a passage made for the urine), ab aliis omnino non explicata sunt. *Urinae iter* apud Celsum idem est, quod nos *vocula urethra* designamus. Cf. Lib. IV. C. 1:

Tum in masculis iter urinae spatiosius et compressius a cervice hujus (vesicae) descendit ad colem: in foeminis brevius et plenius super vulvae cervicem se ostendit. Celsus igitur verbis supra allatis postulat, ut incisione, sub cute ea parte qua externa et lunata plaga resima est transversa facta, cervix vesicae usque ad urethram aperiatur, vel ut cervix et urethra aperiatur.

Quod duplici ratione perfici potest, nempe, vel ea parte ubi cervix vesicae transit in urethram incisione transversa cervix et urethra simul aperiendae sunt, vel incisio longitudinalis in vesicae cervicem ita producenda est, ut urethra aperiatur. Quam alteram interpretationem propter particulam *donec*, a Celso tam circumspecte hoc loco adhibitam, quam hucusque ab interpretibus omnino neglectam, solam rectam esse censeo.

Donec cum Conjunctivo idem est quod *tamdiu donec*, *so lange bis*, *tam longe donec*, *so weit bis*; itaque haec particula hoc loco et *temporis* et *directionis incidendi spatium* designare mihi videtur, quo opus est ad cervicem vesicae atque urethram satis aperiendam.

Si autem Celsus vesicae cervicem ea parte, qua exoritur urethra, transversa incisione incidi voluisset, omnino supervacanea addita esset particula *donec*, quoniam tunc nec de temporis nec de directionis incidendi spatio quidquam disserendum esset, quum vel minima incisione utraque, urethra et cervix vesicae, statim aperiri possit. Deinde haud negligendum est, parvam tantum *incisionem transversam* hoc loco fieri posse, nisi urethram plane abscindi vel vasa deferentia cum vesiculis seminalibus utriusque lateris disseccari velis. Incisio contra *longitudinalis cervicis vesicae urethraeque*, vel incisio, quae incipit a cervice vesicae et protrahitur ad urethram, non solum satis ampla reddi, sed ita

quoque perfici potest, ut vasa deferentia vel vesiculae seminales integra maneant, quoniam media *inter haec* vel recta vel paululum obliqua linea cervicem urethramque secare possumus. Ejusmodi enim incisio semper si cervicem vesicae urethramque spectas longitudinalem vel paululum obliquam directionem eique similem praebere debet, quam observamus in sectione laterali. In sectione laterali incidere incipimus ab urethra et usque ad vesicae collum pergimus; contra secundum Celsi praecepta e contrario fit incisio, quum incipiat a cervice atque producat ad urethram. Quae secandi diversitas ex reliquarum harum methodorum diversitate explicanda videtur: nam in sectione laterali cultrum tute movemus in specilli sulco, apparatu parvo autem partes calculum obtegentes atque deorsum depressae, specillo canaliculato non interposito, separandae sunt, itaque eo loco primum incidendum est, ubi calculus exstat, i. e. in cervice vesicae.

2) Ex *positione vesicae cervicis urethraeque aperiendae* patere puto, incisione altera sub cute facienda transversa, qua ad primam plagam spectat, *cervicem vesicae atque urethrae posteriorem partem obliqua directione dissecandam esse.*

Pars urethrae membranacea musculo Wilsoni arcui ossium pubis, itaque *in perinaeo medio atque superiori* affixa est, *cervix autem vesicae et pars urethrae prostatica*, in situ normali pone arcum ossium pubis sensim emergentes, digitis ano immissis quantum fieri potest cum calculo *in sinistram perinaei partem deprimuntur, ita ut arcu ossium pubis depressiores collocatae sint, atque obliquam directionem ab sinistro perinaei latere ad dextrum obtineant.*

Quam positionem partis prostaticae urethrae cervicisque vesicae arcu ossium pubis profundioris situs aegroti cruribus reductis supinatus sine dubio valde adjuvat.

Si autem Chirurgus partibus sic collocatis incisionem transversam ex ea parte plagae lunatae, ubi haec resima est, ab sinistro perinaei latere ad dextrum ducit, qua cervix vesicae et urethra dissecantur, necesse est, *ut has ab inferiore et sinistra parte ad longitudinem aperiat.* Hac incisione transversa cervix vesicae a fine suo partem prostaticam urethrae spectante atque pars prostatica urethrae simul cum glandula prostata ipsa dissecantur in inferiore et sinistra parte directione longitudinali vel paullum obliqua. Itaque fere idem vulnus exoritur, quod sectione laterali efficitur.

Pro mea quidem sententia haec per digitos deorsum prementes mutata partium positio praecipue spectanda est ad rectam plagae internae conditionem dijudicandam, quod autem hucusque ab interpretibus fere plane neglectum est, unde omnes illorum errores atque controversiae non solum deducendae sed et dirimendae videntur. Celsum autem non vesicae corpus, quod nonnulli cum Clossio conjecerunt, sed collum sive cervicem tantum incidi voluisse, partim ex opinione veterum Chirurgorum in universum patet, *) qui laesiones vesicae letales esse cognoverunt, partim ex Celsi ipsius sententia, qui distinctis verbis vesicae laesionem dissuadet. **)

*) *Hippocrat.* Lib. V, C. XVI, N. 19. p. 288. Lib. I, p. 3 ed. Linden. Aphorism. Lib. VI, 18. — *Antyllus* apud Rhaz. Contin. Lib. IV. C. II. *Aretaeus* de causis et signis diurn. morb. Lib. II. Cap. IV. p. 40. coll. Stephani. *Avicenna* Can. III. Fen. XIX. C. VII. *Albucasis* l. c.

**) Lib. IV Cap. 26.

Ne si utrimque digiti circa calculum vehementer concurrerint, vesicam laedant. Neque vero festinanter in hac re, ut in plerisque, agendum est; sed ita, ut quam maxime id tuto fiat: nam laesa vesica nervorum distensiones cum periculo mortis excitat. — Hos omnes (calculos), leniter permutatis subinde digitorum vicibus, sic oportet adducere, ne

Si igitur dubitandum non est, quin Celsus cervicem tantum vesicae incidi voluerit, corporis autem vesicae laesionem perspicue dissuaserit, quaerere nunc licet: *quam vesicae partem Celsus cervicem nominaverit, et num illius definitio quadret cum nomine, quod nos huic vesicae parti imponimus necne?*

Sub finem fere Capitis I. Lib. IV. ait Celsus:

Vesica autem in ipso sinu nervosa et duplex, cervice plena atque carnosam, jungitur (cervix) per venas cum intestino, eoque osse, quod pubi subest: ipsa (vesica) soluta atque liberior est: in masculis iter urinae spatiosius et compressius a cervice hujus descendit ad colem.

Quae quamvis descriptio vesicae ejusque cervicis perfecta appellari nequeat, attamen verbis:

Cervice vesicae plena atque carnosam etc. — iter urinae a cervice descendit ad colem,

Celsus inferiorem angustiolemque vesicae partem, fibris muscularibus uberiorem, plexu venoso cinctam atque in urethram transeuntem perspicue designasse mihi videtur, quam nos quoque cervicem sive collum vesicae appellamus. Nos enim angustiolem, inferioremque vesicae partem, peritoneo non circumvolutam, inter ureterum ostia et partem urethrae prostaticam sitam, *cervicem* seu *collum* vesicae appellamus. Aliis verbis eadem pars vesicae cervix definiri potest, qua corpus trigonum continetur. *) Quae autem vesicae pars non tantum angustior, tunicis crassiori-

vesicam laedant etc. — Ita longa inquisitione vesica laeditur, excitatque inflammationes mortiferas etc. — Magna cura habita, ne aut ad ipsam vesicam ferramentum perveniat etc.

*) Cf. Langenbeck l. s. c. p. 6 et 7.

bus, fibrisque muscularibus uberioribus exstructa, sed et plexu venoso cincta est ideoque cum descriptione a Celso prolata convenit. Colli vesicae pars posterior ita cum intestino recto cohaeret, ut corpora in vesica aliena plerumque ibi optime sentiri possint. Aptissimus quoque hic vesicae locus apud pueros apparet ad calculos vesicales digitis intestino recto inductisprehendendos et in perinaeum deprimendos. Cervix enim vesicae neququam tam angusta atque firma est, ut non satis ampla reddi possit ad calculos haud nimis magnos in ea retinendos deprimendosque. Deinde jam Foubertus *) demonstrare conatus est atque L. S. Sansonus **) recentiore aetate accuratius exposuit, partem cervicis vesicae posteriorem ceteris paribus optimum esse locum ad vesicam calculorum extrahendorum caussa aperiendam.

Si Clossius l. c. p. 14. N. XI ait:

Credidit quidem Celsus cum omnibus veteribus, cervicem vesicae, eam partem, quae hodie collum vesicae, *prostata cinctum*, audit, in operatione findi etc.

in duplici errore versatur. Nam Celsus nusquam eam partem, quae glandula prostata cincta est, cervicem vesicae appellavit, neque hodie hanc partem collum vesicae vocamus, sed urethrae merito tribuimus et partem urethrae prostaticam nominamus. Simili modo omnes recentiores auctores, qui Clossii sententiam amplexi sunt, in eo errarunt, quod putant, calculos vesicales in cervicem vesicae ob nimias ejus angustias deprimi non posse. — E contrario constat inter omnes rei peritos, collum vesicae non solum calculis in eo collocatis, sed et vi me-

*) *Mémoires de l'Académie Royale de Chirurgie. Paris 1745. Tom. I, p. 664 s.*

**) *Des moyens de parvenir à la vessie par le rectum: avantages et inconveniens attachés à cette méthode pour tirer les pierres de la vessie. Paris 1817. 4.*

chanica extendi posse, quod experientia eorum satis docuit, qui calculos vesicae urinariae apparatu magno extraxerunt. Quae autem vesicae colli facultas sese dilatandi in aetate puerili sine dubio major existit quam seriore aetate, quamobrem Celsus tantum in pueris intra novem et quatuordecim annos natis calculum vesicalem hac ratione exsecari jussit.

C o n c l u s i o .

Primo interpretationis capite argumentis historico-criticis demonstravi, secundum Celsi verba exteriorem plagam semilunatam in sinistra perinaei parte inter anum et tuber ossis ischii sinistri faciendam esse, atque hanc incisionem omnino fere, modo formam lunatam exceperis, cum incisione exteriori, quae perficitur in sectione laterali, convenire.

Capite secundo interpretationis partim ex Celsi verbis ipsis, partim caussis anatomicis probavi:

1) alterius plagae directionem transversam non ad partes dissecandas, i. e. ad vesicae cervicem urethramque, sed tantum ad exterioris plagae directionem, referendam esse;

2) hac incisione interiori vesicae cervicem atque partem urethrae prostaticam, quae digitis ab ano in perinaei partem sinistram profundiores depressae sint, in inferiore parte directione obliqua vel longitudinali aperiri;

3) hanc incisionem incipere a vesicae cervice et ad urethram produci, qua secandi ratione sola differat ab ea in sectione laterali, quae e contrario ducitur.

Ex his autem elucet, *Lithotomiam Celsianam*, qualem equidem interpretatus sum, magnam cum sectione laterali habere similitudinem, quod demonstrare in prooemio mihi proposui.

Jam vero audienda sunt et refutanda, quae VV. DD. contra Lithotomiam Celsianam monuerunt, hanc antiquissimam calculi secandi rationem tanquam inutilem rejicientes:

1) Fuerunt, qui dicerent, calculum ex ano digitis in vesicae cer-vice nec sentiri nec deprimi posse ob nimias ejus angustias. Non tamen dubitandum est, quin, qui id contenderunt, partem prostaticam urethrae collum s. cervicem esse falso putarint, atque omnino neglexerint, apparatus parvum tantum aetati puerili a Celso commendatum esse, in qua cervix vesicae et mollior et profundius collocata, glandula prostata autem minor est, quam aetate magis provecta.

2) Alii reprehenderunt apparatus parvum, quod eo urethra facile dissecari vel omnino abscindi possit. Quod quamvis secundum Bromfieldii, Dupuytreni, Beclardi, Chaussieri et Turckii interpretandi rationem fieri possit, attamen haec abscissio urethrae accidere nequit, si quis nostram interpretationem secutus erit.

3) Denique monuerunt, specillo canaliculato haud adhibito, incisionem internam fieri et vesiculas seminales, vasa deferentia, ureteresque facillime laedi posse. Sed contra haec responderi potest, vesiculas seminales vasaque deferentia aetate puerili non nimis excultas esse. Ceteroquin quicumque partium de quibus agitur conditiones perpenderit, persuasum sibi habebit, vasa deferentia et vesiculas seminales depressione vesicae cervicis magis retrahi atque a parte colli vesicae inferiore removeri. — Qua ex causa et laesio eorum certe non facilius accidere poterit, quam in sectione laterali. Eandemque ob causam incautus

tantum Chirurgus sinistram ureterem laedet, si nimis alte incidit cervicem, neque id quidem facilius perficiendum est quam in sectione laterali.

Quibus omnibus recte perpensis nemo certe, qui non laborat opinionibus praejudicatis, negabit, Lithotomiam Celsianam nostris temporibus *apud pueros calculosos intra nonum et quartum decimum annum decernendam esse:*

1) *ubi eorum urethra vel adeo angusta, vel calculus ante orificium urethrae internum sic collocatus est, ut catheter vel specillum canaliculatum introduci omnino nequeat;*


2) *si urethra ita sensibilis est, ut catheter aut specillum nimios excitet dolores, vel spasmos;*

3) *si calculus in collo vel cervice vesicae tali modo collocatus est, ut digitis ex ano facile sentiri et deprimi possit in perinaeum; quae demonstrare in prooemio praecipue mihi proposueram.*

Tabularum explicatio.

Tab. I. in primis *incisionis exterioris* sive *plagae lunatae* exhibet imaginem, qualis juxta anum directione obliqua in protuberantia calculi, in perinaei partem sinistram depressi, conspicienda producitur. Cornu plagae lunatae superius versus dextram, cornu inferius sinistram natem s. coxam paulum spectat. Altera linea, a concava s. resima parte plagae lunatae transverse ad perinaeum medium ducta et punctis tantum depicta, eam ob causam addita est, ut quae sit alterius s. interioris incisionis versus exteriorem plagam directio recte cognoscatur. Deinde demonstratum est, quemadmodum primis digitis sinistrae Chirurgi manus aegroti ano immissis calculus vesicalis ad perinaei partem sinistram deorsum deprimatur. (Cf. Cap. I. p. 18. 19. 20 et 21.)

Tab. II. *incisionis interioris* s. *plagae transversae* conditionem illustrat. Eadem quae in priori tabula aegroti positio exhibetur, tantum incisione exteriore plane omitta. Hic vero partibus externis, cute fascia et musculis perinaealibus, sublatis urethrae bulbus, pars membranacea et prostatica cum inferiori parte colli vesicae conspicuae sunt. In primis notanda est cervicis vesicae, partis prostaticae et membranaceae urethrae positio depressior et versus sinistram perinaei partem oblique conversa, digitis ano aegroti immissis deprimentibus effecta. Denique conspiciendum est, incisione illa altera, quam prioris habita ratione *transversam* esse demonstravimus, partes illas depressas directione *obliqua* vel *longitudinali* dissecari. (Cf. Cap. II. p. 23. 24. 25 et 26.)




Schreiner Lithotomia Celsiana.

Tab. I.

M. Schreiner del.

Schaeffer's Anatomical Atlas.



Tab. II.

